PETITIONEM MAGISTERII

INDICIT

GODOFREDUS HERMANNUS

H. T. PROCANCELLARIUS.

Non videri Aeschylum Ἰλίου πέρσιν scripsisse.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.

1841.

Putabam ego non posse demonstrari scriptam ab Aeschylo esse tragoediam, quae Ἰλίου πέρσις dicta totum esset bellum Troianum complexa. Eam tamen opinionem quum animo concepisset Fr. Th. Welckerus, vir ingeniosissimus, lis est inter me et illum exorta, quum neque ego illi assentiri possem, neque ille allatis a me argumentis concederet. Protulit primo suam coniecturam in diurnis scholasticis a. 1831. fasc. 12. p. 1211 seqq. repetivitque in Museo Rhenano V. 3. p. 483 seqq. Contradixi ego in dissertatione de Aeschyli Psychostasia sive in Opusc. vol. VII. p. 357. responditque non sine quadam animi commotione in Musei Rhenani Supplem. II. 1. p. 39 seqq. quumque ego iterum illam sententiam in diurnis Darmstadiensibus a. 1839. fasc. 8. p. 729 seqq. impugnassem, denuo eam defendit in Supplem. Mus. Rhen. II. 3. p. 1506 seqq. pacatius quidem, sed tamen ut non omni se exsolvisse cupiditate videatur. Non inutile fuerit id uno saltem exemplo ostendisse, ut inde de tota lite iudicari possit. Nam non tam de tragoedia illa, quam de disputandi ratione agitur. Quum miratus essem quod emendationem meam fragmenti cuiusdam Aeschylei vituperasset nullo argumento allato, ut videretur auctoritatem suam pro argumento haberi velle, nunc illius iudicii rationem reddidit. Erat illud fragmentum a me sic constitutum:

ἐναροκτάντας δὲ φθόνος αὐχαῖς
ἔγκοτος ὑψοῦ
τέλος ἀθανάτων ἀπολείψει,
ἥξει τ' ἐχθρούς.

Displicuit hoc Welckero, displicuit Schoellio. Non puto idcirco falsum esse: sed refutanti aut melius quid afferenti gratum me fore profiteor. Qui hic altas deorum sedes relinquere dicitur, ex Welckeri sententia deus mortis est, Θάνατος. At meminerat vir antiquitatis

peritissimus hunc non inter superos in caelo, sed in Orco apud inferos habitare. Quid igitur faceret? Excogitavit hoc: deum mortis ut ἐναροκτάνταν recte ex alto venire, quia tantummodo vis divina sit, quae in proeliis homines perimat, qualem daemonem in Sophoclis Iphigenia Antaeum et Aeschyli Amphidromum aliosque esse. Non puto eum hoc cuiquam persuasisse: quocirca satis erit, magnum qui in his est eumque duplicem errorem aperuisse. Amphidromus quidem daemon quidam fuit: Antaeum autem Welckerus et Th. Bergkius creaverunt. Nullus enim fuit, sed est illud nomen adiectivum, dicebaturque ἀνταῖος θεὸς et ἀνταία θεός. Non magis ullus daemon Ἐναροκτάντας fuit, sed hoc quoque nomen adiectivum est, ut, nisi substantivum addatur, nesciamus quis deus aut homo sit ἐναροκτάντας. Tametsi vero nullus est iste daemon, tamen eum assumam, ut videam quid eo fiat. Quum apud Hesychium lacunosa scriptura sit φθογγ... κότος, id Welckerus putat φθογγοσκότος fuisse, quo vocem celans significetur, pariter ut σκοτομήδης et σκοτομήνιος dicatur, qui consilium, qui iram celet. Has interpretationes a me refelli aut ullum verbum de portentoso illo φθογγοσκότος addi nemo postulabit. Sed tamen his usus Welckerus scribit: Ἐναροκτάντας δὲ φθογγοσκότος ὑψοῦ τέλος ἀθανάτων ἀπολείψει. His vero ad metri rationem pes deest, ut is, qui vituperavit insertum a me αὐχαῖς, tamen et ipse aliquid inserere debeat. Ecquem igitur dissentientem habebo, si mihi haec omnia videntur cupidius quam pensitate prolata? Apparebit id magis etiam ex iis, quae meae emendationi opponit. Ἐναροκτάνταν a me pro adiectivo haberi ait, mirabundus, ut videtur. Sane pro adiectivo habui, quia non est substantivum: vituperandus enim fuissem, si credidissem substantivum esse. Deinde valde mirum esse, quod id epitheton esse invidiae vel reprehensionis voluerim, ut invidia dicatur trucidatrix, quae sic nihilo minus, ut mortem quam apud inferos habitare conveniat in se comprehendens, venire ex alto dicatur, ubi meram invidiam non suo in loco esse, quia illa invidia, qua nimiam felicitatem hominibus invideant dii, plane aliud sit, quam quae vulgo universe invidia appelletur. Nihil horum dixisset vir doctissimus, si tranquilliore animo rem considerasset: vidisset enim se fingere quae mihi ne potuerunt quidem in mentem venire. Apud Hesychium haec leguntur: ἐναραφόρος, σκυλοφόρος· sequuntur Aeschyli ex Nereidibus

verba: deinde: οἱ ὑπομνηματισταὶ παρὰ τὸ οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι· ἵνα ᾖ ὁ νοῦς, ὁ δὲ ἐναροκτάντας θάνατος (errore scribae positum est θάνατον) μὴ ἐπικαυχώμενος τὸ ἐκ τῶν θεῶν τέλος ὕψου ἀπολείψει, τὰ τῶν ἀθανάτων ὕψη, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς ἥξει. Etiam Eustathius: ἐκ τοῦ ἐναίρειν καὶ κτείνειν ἐναροκτάντας ὁ θάνατος. Cur non credibile sit θάνατον dici ἐναροκτάνταν, ostendi in illa de Nereidibus dissertatione. Poteram aliud ex ipsis his nominibus addere argumentum, si ἐναροκτάντας trucidatorem significaret. Nam qui trucidat Φόνος est, non Θάνατος, qui aut sequitur trucidationem, aut, si ipse mortis auctor est, aufert animam sine trucidatione. Sed pergam. Commentatores illi, quos dicit Hesychius, eam sententiam testantur expressam esse, quae est in versu Homerico Odyss. XXII. 412.

οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Propterea scribebam ἐναροκτάντας φθόνος, monebamque sermonem esse de Hectore, qui detracta Patroclo Achillis arma induisset iisque se efferret, unde Homerum Iliad. XVII. 198. dicere:

τὸν δ' ὡς οὖν ἀπάνευθεν ἴδεν νεφεληγερέτα Ζεὺς
τεύχεσι Πηλείδαο κορυσσόμενον θείοιο,
κινήσας ῥα κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν·
ἆ δείλ', οὐδέ τι τοι θάνατος καταθύμιός ἐστιν·
ὃς δή τοι σχεδὸν ἐστι.

Non opus est, ut reliqua adscribam, quae dicit Iuppiter invidens Hectori illam qua se iactat felicitatem. Iam igitur ubi est illa, quam vituperat Welckerus, invidia, quae tamen mors sit? Immo eam apparet illam ipsam esse, quam non putat a me significatam, qua nimiae hominum felicitati invideant dii. Itaque dum contra me dicere sibi videtur, pro me dicit. Jam vero in claram lucem prodibit etiam iste ἐναροκτάντας θάνατος. Quoniam enim indignatus Iuppiter mortem minatur Hectori, ἐναροκτάνταν φθόνον grammatici interpretati sunt θάνατον, quod, si invidia deorum relinquat caelestia templa et ad hostes Graecorum veniat, id fiat eo consilio ut Hector morte luat superbiam. Ceterum quod Welckero etiam αὐχαῖς et ἔγκοτος displicet, quid aliud esse dicam, quam quaerere quod reprehendat etiam in iis, in quibus nemo alius caussam vituperandi inveniat? Ex his aestimari

poterit, uter nostrum, ut p. 1510. ait, multa imaginatus sit, quae omnibus modis incredibilia sint.

Venio nunc ad *Ἰλίου πέρσιν.* Nullus scriptor aliquam *Ἰλίου πέρσιν* Aeschyli memorat, nisi forte id fecit Aristoteles in loco aperte corrupto. Scholiastes Hermogenis ex Persis Aeschyli affert vocabulum, quod non legitur in ea tragoedia. Alia verba ex Persis Aeschyli, quae non exstant in illa fabula, affert Athenaeus. Nunc Welckerus versum invenisse sibi visus est, qui pertineret ad *Ἰλίου πέρσιν.* Eo argumento non solum exstitisse isto titulo tragoediam Aeschyli, sed etiam apud scholiastam Hermogenis et Athenaeum *ἐν Περσίδι* scribendum iudicavit. Has ego ratiocinationes non accipiebam, nec nunc accipio. Certe quidem, etiam si testaretur *Ἰλίου πέρσιν* Aristoteles, non sequetur reddendum hoc nomen Athenaeo esse et scholiastae Hermogenis, sed potuisse illos *ἐν Περσίδι* scribere. Potuit enim aut alio modo in titulo fabulae aut in nomine scriptoris, ut saepenumero factum scimus, erratum esse; potest etiam nullus apud illos error esse, si verba, quae ex Persis afferunt, scripta in ea tragoedia fuerunt: non enim sine lacunis ad nos pervenit. Haec quidem sic se habent, si scripsit *Ἰλίου πέρσιν* Aeschylus. Quid vero si non scripsit? Tum quidem certo *ἐν Περσίδι* nusquam debebit reponi. Videndum est ergo ante omnia an scripserit. Aristotelis verba in libri de arte poetica cap. 18. sic in codd. scripta leguntur: *χρὴ δὲ ὅπερ εἴρηται πολλάκις μεμνῆσθαι, καὶ μὴ ποιεῖν ἐποποιϊκὸν σύστημα τὴν τραγῳδίαν· ἐποποιϊκὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον· οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον. ἐκεῖ μὲν γὰρ διὰ τὸ μῆκος λαμβάνει τὰ μέρη τὸ πρέπον μέγεθος· ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει. σημεῖον δέ· ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥςπερ Εὐριπίδης Νιόβην, καὶ μὴ ὥςπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν, ἢ κακῶς ἀγωνίζονται, ἐπεὶ καὶ Ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ.* In vulgatis editionibus post *Νιόβην* addebatur *ἢ Μήδειαν*, quod patet ex *καὶ μὴ* factum esse. Georgius Valla in vertendo pro Nioba posuit Hecubam. Ac vix dubitari potest, quin lector aliquis in margine apposuerit *Ἑκάβην.* Acutissimi viri, Th. Tyrwhittus et Fr. Volg. Reizius, intellexerunt Aeschylum non potuisse in illis numerari, qui *πέρσιν Ἰλίου ὅλην* scripsissent. Itaque Reizius dedit: *καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥςπερ Εὐριπίδης ἢ ὥςπερ Αἰσχύλος*: eodemque modo scribi voluit Tyrwhittus, nisi quod servandum

putabat Ἑκάβην. Pergerem reliqua ordine persequi, nisi Welckerus, ut solet, ad alia avocaret. Negat enim in Museo Rhen. V. 3. p. 491. quod Aristoteles dicit τῆς Ἰλιάδος de Homeri Iliade dictum esse, sed intelligi vult parvam Iliadem Leschei. At ipsa luce clarius est, id non magis fieri posse, quam ut qui Homerum nominet, non Iliadis et Odysseae scriptorem, sed ex Pleiade tragicum dicat, nisi aut hoc ipsum addat, aut ante de tragico Homero sit locutus. Quare si de parva Iliade sermonem esse volebat Welckerus, excidisse μικρᾶς dicere debebat. Id non facit, sed docere conatur factum esse quod fieri nequit. Atque in Cyclo epico p. 132. ea caussa Aeschinis contra Timarchum §. 128. verba affert: καὶ τὸν Ὅμηρον πολλάκις ἐν τῇ Ἰλιάδι λέγοντα πρὸ τοῦ τι τῶν μελλόντων γενέσθαι, φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε, parvam Iliadem ab illo cum Homerica confusam putans. Ad id si accidisset Aeschini, tamen, quia Homerum nominat, huius eum Iliadem in mente habuisse patet. Omnino autem ille non esset parvae testimonio usus, sed homo fervore abreptus, quum versatus in poetis esset, in Iliade Homeri se legisse putabat verba ista, quae talia sunt, in quibus facillime fallat memoria. At producit Welckerus alium testem, scholiastam Platonis ad Reip. X. p. 421. in Cyclo epico p. 236., ubi de Creophylo narratur, ὅτι ὑποδεξάμενος Ὅμηρον ἔλαβε παρ' αὐτοῦ τὸ ποίημα τῆς Ἰλιάδος. Hic quidem aut excidisse μικρᾶς dicit, aut Iliadem simpliciter pro parva nominari: reiicit tamen, quod necessarium est; arripit, quod fieri non potest. Absurdus enim fuisset scholiastes, si non dixisset utram Iliadem Homerus donasset Creophylo. Reliqua est alia Iliadis, quae non est Homeri, memoria apud Aristotelem de arte poetica c. 15. sive meae ed. 18, 12. φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν. Hic quidem, etsi Iliadis parvae ultima pars ἀπόπλους fuit, tamen, quod non appareat quomodo de machina in carmine epico cogitari possit, Welckerus in Mus. Rhen. V. 3. p. 492. cum Graefenhanio tragoediam quamdam, cui Ἰλιὰς nomen fuerit, significari suspicabatur. Mihi hoc non videtur veri simile, non solum quod nusquam tragoedia isto nomine memorata est, sed etiam quod, si fuisset aliqua, poetae nomen ut in haud valde celebrato carmine addidisset Aristoteles. Quare sic existimo, librariorum errore in Iliadis nomen

abisse nomen Iphigeniae, quam ut claram Euripidis fabulam etiam alibi sine nomine poetae laudat. In ea autem et *ἀπόπλους* est et cum eo coniunctus deus ex machina. Ingratus labor est explicare, quae per se aperta sunt: nondum tamen eo liberatus sum. Sollicitum enim habuit Welckerum illud, quod, ut apud Aristotelem, ita etiam in verbis, quae vitae Aeschyli in ed. Robortelli p. 12. inserta sunt, coniuncta inveniuntur Niobae et Iliadis nomina: de qua re multa coniectat p. 494. Nihil illa ad Aristotelem, poterantque facile ex re ipsa emendari. Sed, ut brevissime absolvam, quum eadem in tribus codicibus scripta invenerim, quorum in duobus etiam magis quam in ed. Robortelli corrupta sunt, ponam ut in tertio codice sine vitiis leguntur: *τῶν ποιημάτων ἃ μέν ἐστι διεξοδικὰ καὶ διηγηματικὰ καὶ ἀπαγγελτικά, ἃ δὲ δραματικὰ καὶ μιμητικά, ἃ δὲ δι' ἀμφοῖν, ἃ δὲ μόνον δραματικά· αὐτὰ γὰρ ἐνεργεῖ καὶ λέγει τὰ πρόςωπα, καὶ αὐτὰ τὸ κῦρος ἔχει. διὰ τοῦτο αἱ τῶν δραμάτων ἐπιγραφαὶ προγράφονται τοῦ ποιητοῦ, Νιόβη Αἰσχύλου, Ὁμήρου δὲ Ἰλιάς.*

Revertor ab hac digressione ad Aristotelem. Ac Welckerus in Mus. Rhen. V. 3. p. 490. haec verba *ὥςπερ Εὐριπίδης Νιόβην καὶ μὴ ὥςπερ Αἰσχύλος*, ut ab interpolatore profecta, uncinis circumscripsit, de quibus dixit p. 495 seq. Ita vero evertit fundamentum, quo fulta erat *Ἰλίου πέρσις*. Unico enim de ea testimonio sublato nulla fuit, nisi restitui alio aliquo artificio potest. Id suppeditavit versus Aeschyli apud Aristophanem in Ranis 1431.

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,

quem de Astyanacte dictum esse eo effici putat, quod Ulixes et apud Arctinum de illo puero dixerit

νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει,

et apud Euripidem in Troad. 718. de eodem Ulixe scriptum sit

λέξας ἀρίστου παῖδα μὴ τρέφειν πατρός.

Potuisse istum versum de Astyanacte dici neque ego negavi nec facile alii negabunt. At quae potuerunt fieri, eo non etiam facta sunt. Esse igitur factum defendit Welckerus in diurnis scholasticis a. 1831. p. 1712 seqq. primum eo quod scripserit *Ἰλίου πέρσιν* Aeschylus: nam id ibi testatum ab Aristotele sumebat: nunc vero, postquam uncinos posuit, ipse illud testimonium sustulit, ut iam nullum testem

habeamus. Quod si nemo testatus est *Ἰλίου πέρσιν* Aeschyli, quo modo cognoscimus versum istum in fabula scriptum fuisse, quam nescimus utrum scripserit Aeschylus necne? Credo ego neminem qui rationem concludere didicerit, aliud istiusmodi demonstratione effici intelligere, quam ut, si fecerit Aeschylus *Ἰλίου πέρσιν*, potuerit in ea esse iste versus. Sed haec non curans Welckerus pergit ad eos qui sequuntur duo versus:

μάλιστα μὲν λέοντα μὴ 'ν πόλει τρέφειν,
ἢν δ' ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν,

quos ab ipso Aristophane ingenium Aeschyli exprimente adiectos censet. At hoc fieri non potest, nec credet quisquam qui et Aeschylum atque Aristophanem bene norit, et sciat quid linguae ratio postulet. Nam non solum ipsi hi duo versus tantum inter se distant, quantum comoedia et tragoedia, verum etiam verba aperte ostendunt, priorem eorum non dici ab Aeschylo, sed, si a quoquam, ab interloquente Baccho, ut corrigat illud quod de catulo leonis dixit Aeschylus. Quod si ipse se corrigeret Aeschylus, non modo ineptus, sed insanus esset, qui filium leonis non et ipsum videret leonem esse. Ex quo consequitur, Aeschyli hanc fuisse gravissimam sententiam:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
ἢν δ' ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Ita vero corruit eversum ab ipso Aeschylo fundamentum, in quo suam *Ἰλίου πέρσιν* exstruxit Welckerus. Nam si cohaerebant primus et tertius versus, nullo pacto de Astyanacte sermo esse potuit qui puer de muro est deiectus, sed de aliquo, cuius leoninis moribus obsequi civitatem, postquam eum adolescere siverit, necesse sit. Ac dicuntur haec apud Aristophanem in Alcibiadem. Ceterum quid ad hos versus faciant quae paullo post leguntur longe alia de re dicta,

πῶς οὖν τις ἂν σώσειε τοιαύτην πόλιν,
ᾗ μήτε χλαῖνα μήτε σισύρα ξυμφέρει,

neque ego video, et vereor ut alii perspiciant. Affert vero aliud, cui multum tribuit: nam et Plutarchum in vita Alcibiadis c. 16. et Valerium Maximum omisso illo versu

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,

solos posuisse alteros duos. Valerius quidem nullius pretii auctor est, qui quum Periclem remissum ab inferis, quod factum est in Eupolidis *Δήμοις*, apud Aristophanem dixisse narrat *non oportere in urbe nutriri leonem*, *sin autem sit alitus*, *obsequi ei convenire*, ne satis certum quidem pro omissione primi versus testimonium praebet, quia, si tantummodo sententiam reddere volebat, non opus erat ut catulum leonis nominaret. Quid vero Plutarchus? Is ubi insanam mollitiem et luxuriam Alcibiadis descripsit, ita pergit: *ἅπερ ὁρῶντες οἱ μὲν ἔνδοξοι μετὰ τοῦ βδελύττεσθαι καὶ δυςχεραίνειν ἐφοβοῦντο τὴν ὀλιγωρίαν αὐτοῦ καὶ παρανομίαν ὡς τυραννικὰ καὶ ἀλλόκοτα, τοῦ δὲ δήμου τὸ πάθος τὸ πρὸς αὐτὸν οὐ κακῶς ἐξηγούμενος ὁ Ἀριστοφάνης ταῦτ᾽ εἴρηκε· ποθεῖ μέν, ἐχθαίρει δέ, βούλεται δ᾽ ἔχειν; ἔτι δὲ μᾶλλον τῇ ὑπονοίᾳ πιέζων, μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν, ἢν δ᾽ ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.* Quid de his statuemus? Num omisisse Plutarchum illud *οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν*, quia de Alcibiade non ut alumno Periclis loqueretur, an ne scriptum quidem apud Aristophanem eum versum invenisse, an omnes tres versus, sicut etiam in Anthologia Palatina X. 110. et duobus locis apud Suidam coniuncti leguntur posuisse, sed primum eorum a scriba oculis ad alterum *τρέφειν* aberrante esse neglectum, an denique haec *μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν* non Aristophanis, sed ipsius Plutarchi verba esse, sententiam primi versus his verbis complexi? Nam quis non assentiatur Brunckio, qui medium versum ut ineptum eiecit, falsus ille quidem memoria, quum a Plutarcho eum omissum dixit, quapropter visus est pariter errasse, quum se in tribus codicibus nullum eius vestigium invenisse affirmavit. At nescio an id tamen verum sit, quando I. Bekkerus, qui legi istum versum in codd. Ravennate et Mutinensi adnotavit, tacens de optimo cod. Veneto, in hoc libro deesse eum videtur significare. Credat quis fortasse defendi illum versum posse, si Baccho inepte ut solet interloquenti tribuatur: verum ita non tam Bacchus, quam ipse Aristophanes se stultum omnisque iudicii expertem praebuisset. Nam quum quaesivisset Bacchus, quid de Alcibiade sentiret Aeschylus, non modo importune interpellaret quam audire volebat Aeschyli sententiam, sed etiam arguta illa leonis et catuli leonini distinctio, qua gravissima Aeschyli sententia interrumpitur, tam nihil acuminis, nihil salis, nihil leporis, omnino nihil utili-

tatis habet, ut non illustret, non roboret, non augeat vim dicti Aeschylei, sed turbet, debilitet, frangat. Quin ipsa verba qui consideret, *μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ἐν πόλει τρέφειν*, numquid aliud quam scholiastae se legere verba putabit, ex cuius ea enarratione fuerint scribae alicuius inscitia cum poetae verbis coniuncta? Hunc igitur versum recte a Brunckio eiectum omissumque a Bekkero fateri debebimus. Ac sunt etiam alia in ista Aristophanis comoedia ab interpolatoribus adiecta, quo in numero nescio an sit etiam versus editionis Brunckianae 1429. nam versus 1437—1441. 1452. 1453. aperte suppositicii sunt. Iam vero si iste, de quo dictum est versus non est Aristophanis, consequitur ut non sit Aeschylus de Astyanacte locutus. Itaque multa quidem multoque plura quam opus erat disputata sunt, sed si quis quaerat quid effectum sit ut aliqua *Ἰλίου πέρσις* in lucem prodiret, confitendum erit effectum esse nihil, quaerique etiamnum aliquod eius tragoediae certum vestigium.

Igitur alio modo rem aggreditur Welckerus in Suppl. Mus. Rhen. II. 1. p. 39 seqq. Ibi pro certo exploratoque sumit scripsisse Aeschylum *Ἰλίου πέρσιν*. At ex eo quod nec demonstratum nec concessum est nulla promi argumenta possunt. Verumtamen putat me concessurum: quod sic se assecuturum sperat. Quamdiu nulla nota sit Aeschyli, multae autem Sophoclis et Euripidis tragoediae, quae non trilogice, sed *κατὰ μέρος* compositae sint, aut acquiescere me debere in illa opinione, fecisse Aeschylum *Ἰλίου πέρσιν ὅλην*, aut refutare eum rationibus non sophistarum exemplo captiosis, sed rei convenientibus. Nam quum concesserim versum de Astyanacte dictum, plus inde sequi quam putaverim. Hic quidem nescio an ipse vir doctissimus se sophistam praebuerit, captiosaque ratiocinatione me circumvenire studuerit, quum ambiguis verbis dicit concessisse me dictum de Astyanacte versum. Non enim dictum esse concesseram, sed potuisse dici. Pergit, quum nulla nota fuerit Aeschyli de excidio Troiae tragoedia, primum ex isto versu apparere tractatum ab Aeschylo hoc argumentum esse; quumque totum componere me ipso concedente sciverit Aeschylus, non esse me negaturum, verisimile esse ut ista *πέρσις Ἰλίου ὅλη* Aeschyli sit. Haec scripsit p. 41. Ad ea respondi in diurnis Darmstadiensibus a. 1839. p. 638. dixique me nec quid *κατὰ μέρος* significare vellet, nec quid totum componere diceret intel-

ligere. Contra quae disputans in Suppl. Mus. Rhen. II. 3. p. 1520. callide rem ita videtur convertere, ut mea se interpretatione istorum verborum usum esse subindicaret. At apertissimum est, si Aristoteles dixit *ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος*, hos eum dicere, qui totum excidium Ilii complexi sint, et non singulas eius partes singulis tragoediis descripserint. Sic et ego haec intellexi, et quis tandem aliter intelligat? Quomodo ergo trilogice, h. e. credo in trilogiis, et *κατὰ μέρος* inter se opponi possunt, quum qui argumentum aliquod in trilogiam distribuit, eo ipso id faciat, quod est tractare *κατὰ μέρος*? Vere ergo me dixisse puto, aliud ei *κατὰ μέρος* esse videri quam ceteris interpretibus omnibus. Porro quomodo consequitur, si totum quid componere scivit Aeschylus, eum *πέρσιν Ἰλίου ὅλην* scripsisse? Immo, nisi ego omni sensu iudicioque destitutus sum, sequitur contrarium, sapientissimum poetam non elegisse sibi argumentum quod maius esset multoque pluribus ex partibus compositum, quam ut una posset tragoedia absolvi, ideoque non scripsisse *Ἰλίου πέρσιν ὅλην*, sed, si scribenda fuisset *Ἰλίου πέρσις*, scripturum fuisse *κατὰ μέρος*. Planum esse arbitror, ne hac quidem via ad *Ἰλίου πέρσιν* perventum esse, etsi rursus in auxilium vocatum erat reiectum antea Aristotelis testimonium.

At quasi extremo denique impetu perrupturus p. 1517. Welckerus versum illum, in quo tota eius caussa vertitur, necessario de Astyanacte dictum contendit. Necessitati quidem resisti non poterit. Sed in quanam re cernitur ista necessitas? In eo, inquit, quod versus ille non solum cum Arctini et Euripidis Troadum versu congruit, sed etiam nullus in fabulis Troicis homo invenitur, in quem expetat: nam si quis Paridem significari censeat, Priamus fera belua vocaretur, qui tamen minime talis fuit, Paris autem non propter originem suam, sed propter indolem periculosus est. Iuvabit haec singula considerare. Primo, ut concedamus, quod non concedimus, neminem esse in fabulis Troianis praeter Astyanactem, in quem quadret iste versus, quid cogit ut de rebus Troianis cogitemus? Apertum est sumere hoc Welckerum sine caussa, ut habeat a quo proficiscatur. Nam quis ostendet neque ante bellum Troianum nec postea ullum vixisse leonis instar metuendum adolescentem? Deinde versum illum, qui a multis scriptoribus ut proverbium affertur,

νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει,

quis dixit Arctini esse? C. G. Muellerus in eo libro, quem de cyclo epico scripsit p. 98. Nam veterum scriptorum, qui solus poetam nominat Clemens Alexandrinus Strom. VI. p. 747. Stasino eum tribuit. Muelleri coniecturam ut non dubiam arripuit Welckerus, quia ne in Cypriis quidem carminibus, quantum ex Procli relatione existimare licet, locus fuisse versui illi videatur. Nolo his adversari, quamquam de proverbio, cui usurpando plurima ubique atque omni tempore opportunitas fuit, non ausim Clementem erroris arguere. Exempla ipse Welckerus p. 1218. attulit, quibus addere poterat Eurysthei verba in Heraclidis v. 1005.

οὔκουν σύ γ' ἂν λαβοῦσα τὰς ἐμὰς τύχας
ἐχθροῦ λέοντος δυσμενῆ βλαστήματα
ἤλαυνες ἂν κακοῖσιν, ἀλλὰ σωφρόνως
εἴασας οἰκεῖν Ἄργος.

Sed esto: sit ille versus Arctini; sit de Astyanacte dictus: unde tandem prodibit necessitas, ut, si eadem sententia usus est Aeschylus, hic quoque de Astyanacte sit locutus? Nihil aliud sequitur, quam potuisse eum de Astyanacte loqui. Atqui quae haec est ratiocinatio: quod potuit fieri, factum est necessario? Nimirum tota Welckeri disputatio fluctuat quasi inter duos scopulos, quorum semper ab altero repulsa reiicitur ad alterum: quia Aeschylus *Ἰλίου πέρσιν* scripsit, versus eius de Astyanacte dictus est: quia versus dictus est de Astyanacte, scripsit Aeschylus *Ἰλίου πέρσιν.* At neutrum demonstratum est, nec potest demonstrari. Quemadmodum autem necessitas illa, quam ostensurus erat, nulla inventa est, ita etiam concidet, quod Parim removere studet. Quod enim ait, ea interpretatione Priamum feram beluam dici, id, si alius diceret, fallere voluisse suspicarer: ipsum sincere dixisse credo, sed quum cupidius opinionem suam defenderet, non satis circumspecte. Nam si tenerum leonem significare voluit poeta, non potuit eum *λεοντιδῆ*, quod a tragico sermone alienum est, vocare, sed necessario *σκύμνον λέοντος* dicere debuit, quo non creatum leone, sed leonina indole in ipsa adolescentia praeditum indicaret. Quumque plane Aeschyli ingenio conveniat, quae adiecto altero versu efficitur gravissima sententia:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν·
ἢν δ' ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν,

quid veri similius est, quam Heleni aut Cassandrae haec verba fuisse in perdita aliqua Aeschyli tragoedia? Welckerus quidem quum in Trilogia praeterisset Philoctetam, in Supplem. Mus. Rhen. II. 1. p. 29. trilogiam composuit, in qua fuerint Lemnii, quae fabula eadem fuerit cum Philocteta, de qua re nullum exstat testimonium; Philoctetes ad Troiam, cuius non magis ullum notum est vestigium; denique *Πέρσις*, quam ex Aristotele finxit. Multo probabilius, ut ego quidem arbitror, ex illis quos posui versibus coniiciemus exstitisse tragoediam Aeschyli, in qua illi versus de Paride dicti fuerint. Quo nomine ea fabula fuerit, atque adeo quas tota trilogia fabulas habuerit quaerere, id est piscari in aere.

Sed pergit Welckerus p. 1519. repetens tamquam alterum pro sua opinione argumentum, id quod iam alio loco dixerat, si de Astyanacte dictus sit ille apud Aristophanem versus, plus sequi quam locutum de Astyanacte poetam esse: dictum enim illud alicuius ex Achivis esse; deliberatum esse ergo utrum interficeretur Astyanax necne; quumque non dubium sit quid decretum fuerit, necatum esse puerum: haec res autem quum et natura sua et consensu scriptorum in media expugnationis saevitia acciderit, consequi ut excidium Ilii tractaverit Aeschylus, sive ille Astyanactem eam tragoediam vocaverit sive *πέρσιν*, quod probabilius esse, quia pueri infantis caedes in tantis turbis vix argumentum integrae tragoediae praebere potuerit. Haec quidem multo magis mirabilia sunt. Primo quomodo potuit tanquam alterum argumentum afferri, quod totum ex priore suspensum est? Illud vero nullum esse apparuit: ergo cadit etiam quidquid ex eo derivatur, ut tacere de his possem, nisi tantum abesset ut communiant *Ἰλίου πέρσιν* Aeschyli, ut eam potius evidenter refutent. Sane, si de Astyanacte dicta est illa sententia, quod tamen non est ullo modo demonstratum, loqui aliquem necesse est qui necandum esse puerum censebat. Sumit ergo Welckerus deliberasse de ea re Achivos. At vero non videtur cogitasse plane contrarium ex hac coniectura consequi quam putabat. Sic enim qui in ista tragoedia agerent Graeci essent, non Troiani; victores, non victi; secunda usi fortuna, non adversa. Difficile profecto

vel summo ingenio fuerit ex his elementis tragoediam componere. Praeterea is qui diceret

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,

aut stultus esset, si de puero in eversa funditus atque excisa urbe educando loqueretur, aut diceret illud alicui, cui puer sorte ex captivis obtigisset, monens ne eum in Graeciam secum abduceret: cuiusmodi inter homines privatos deliberatio valde ab Aeschyli arte abhorret. Relinquitur tertia ratio, de qua statim dicam. Si aliqua Aeschyli Ἰλίου πέρσις fuit, Troiani necesse est introducti fuerint urbis suae excidium lugentes, ut ab Euripide in Troadibus factum est. Ita vero non Achivi consultantes in scena conspici potuerunt, sed aut nuntius de necando necatove Astyanacte referre debuit, aut Neoptolemus oranti Andromachae, ut filius a se ne avelleretur, atrox illud responsum dare. Atque haec sola ratio talis est, ut versus ille de Astyanacte recte apteque dici potuerit, postquam quidem esse de eo dictum aliquis demonstraverit, quod nondum est factum. Ceterum hoc quoque permirum est, quod Welckerus mortem Astyanactis, ut rem nimis parvam, vix potuisse argumentum tragoediae praebere putat. Quis enim credat materiam defuisse Aeschyli ingenio, si Andromacham non solum captivam tradi Neoptolemo, sed etiam orbatam crudelissime filio suo in scenam producere voluisset? Contra quid hoc est, quod putat excidium Troiae totum ab eo esse descriptum? Num omnes illas res, de quibus in parva Iliade expositum erat, eum in unam tragoediam compegisse existimabimus? Haud facile credo persuaderi sibi quisquam patietur, illum poetam, qui Persas fecit, tam absurdum consilium animo concepisse. Quod si est ab eo Ἰλίου πέρσις scripta, quod apparet nullo prorsus argumento esse ostensum, non debebit dubitari, quin ea tragoedia similiter ut Persae luctum de urbis excidio continuerit.

Iam postremum redeo ad Aristotelem, ut hanc disceptationem ad finem perducam. Remotis quae ex lectorum adnotationibus illata sunt nominibus tragoediarum haec verba habemus: ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥςπερ Εὐριπίδης καὶ μὴ ὥςπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται. Euripidem excidium Troiae κατὰ μέρος tractasse constat: itaque quae de hoc tradit scriptor recte

se habent. De Aeschylo res non est explorata, sed ex ipsis demum his verbis coniicitur. Quo igitur referuntur haec *καὶ μὴ ὥςπερ Αἰσχύλος*? Num ad *ὥςπερ Εὐριπίδης*? Hoc quidem absurdum est. Nam si Aeschylus non ut Euripides in aliquot tragoedias excidium Ilii distribuit, sed una fabula totum complexus est, fuit et ipse in iis, quorum tragoediae eo nomine vituperantur. Cur ergo nominatur? Nemo tam inepte scripsisse Aristotelem credet: qui si nominare Aeschylum voluisset, sic scripsisset: *ὅσοι ὥςπερ Αἰσχύλος πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν.* Num igitur ad *κατὰ μέρος* referenda sunt ista verba, ut hoc dicat: qui non per partes ut Euripides, neque eo modo, quo Aeschylus totum urbis excidium perscripserunt? Hoc praeberet quidem bonam et Aeschylo honorificam sententiam, qui quod alii perperam fecissent, recte facere sciverit: at non est Graece dictum: debebat enim *μηδὲ ὥςπερ Αἰσχύλος.* Ergo ne haec quidem interpretatio admitti potest: ex quo consequitur verba corrupta esse. Ac videtur alterum *καὶ μή*, ex quo in vulgatis libris *καὶ Μήδειαν* factum est, ex priori *καὶ μὴ* per scribae negligentiam esse iteratum; quodque sequitur *ὥςπερ Αἰσχύλος*, quum pari oscitantia vel in eodem codice pro *ὥςπερ Εὐριπίδης* scriptum, vel repertum in alio libro esset, reliquis esse adiectum, ita ut haec verba *καὶ μὴ ὥςπερ Αἰσχύλος* plane delenda sint. Atque hoc quidem ego verum esse arbitror, quia sic ea dicere Aristotelem patet, quae vera esse dubitari non potest.

Perventum igitur eo est, ut prorsus nihil esse appareat, quo *Ἰλίου πέρσιν* ab Aeschylo scriptam esse evincatur. Itaque etiam ab Athenaeo scholiastaque Hermogenis arcenda est emendatio, quae istud fabulae nomen restitutum eat. Sed quae ab his scriptoribus ut ex Persis Aeschyli afferuntur, quum potuisse in Persis scripta esse dixissem, locosque ostendissem, in quibus potuissent posita esse, non solum irridere ea placuit Welckero, sed etiam refutare. Non defendam ego quae certo demonstrari nequeunt, quum praesertim quod apud Athenaeum III. p. 86. B. scriptum est. *Αἰσχύλος δ' ἐν Πέρσαις τίς ἀνήρει τοὺς* (nam *τὰς* in aliis libris correctio videtur) *νήσους νηριτοτρόφους εἴρηκεν*, fortasse alia etiam Aeschyli verba in isto *τίς ἀνήρει τοὺς* contineat; sed vellem non talia mihi obiecta esse, quale est *περί*, quod non circa Psyttaleam, sed in Psyttalea multi Persae perierint, omninoque quod de insulis deque anaritis est prolatum. Neglexit

prae pugnandi cupiditate vir doctissimus, quod praeter Psyttaleam etiam aliam insulam ipse Aeschylus memorat; neglexit quod ea commemoratione etiam περὶ defenditur: nam v. 309. scriptum legimus:

οἵδ' ἀμφὶ νῆσον τὴν πελειοθρέμμονα
νικώμενοι 'κύρισσον ἰσχυρὰν χθόνα.

Recte tamen vituperavit hoc, quod πού posueram. Haec enim vocula sane languet. Puto autem id potius reprehendendum fuisse, quod non eo loco qui haud paullo probabilius indicium omissionis habet excidisse videri illa verba dixerim. Est is in proxime antecedentibus verbis, in quibus non solum ad sententiam aliquid desiderari videtur, sed etiam versus exspectatur paroemiacus. Multo illa aptius sic procederent v. 916.

λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη
τήνδ' ἡλικίαν ἐςιδόντ' ἀστῶν,
τὰς ἀμφιρύτους ἢ περὶ νήσους
νηριτοτρόφους ἀπόλωλεν.

Quod autem ad ὑπόξυλος attinet, quoniam ὑπόξυλον γόον ferendum negat, alium locum indicabo, ubi quum aliquot versus exciderint, non poterit negari ipsam rem quae ibi describitur oportunissimam ei vocabulo esse. Nam ante v. 780.

ἕκτος δὲ Μάραφις, ἕβδομος δ' Ἀρταφρένης

iam alii viderunt deesse ea, quae de coniuratione contra magos dicta erant, in quibus nomina posita fuerunt quinque priorum de coniuratis, qui falsum Smerdin, hominem verissime ὑπόξυλον, obtruncarunt.

Videtis, viri humanissimi, quibus summos in philosophia honores petituris haec scripsi, re comprobatum esse, quod initio dicebam, non tam de tragoedia Aeschyli, quam de disputandi ratione agi, extractis longissime, quae paucis verbis perduci ad liquidum potuerant. Quod si qua in his est commendatio eius eruditionis, quae a philosophica disciplina proficiscitur, speramus id vos vobiscum reputaturos,

atque ita Ordinem nostrum adituros esse, ut quum omnino in litteris bene versati, tum philosophiae studio exercitati recte et petere honores illos et sustinere posse vobis videamini. Itaque significo vobis diem solemni petitioni constitutum esse XV. Ianuarii, rogoque ut ante eum diem litteras petitorias ad me deferatis. Me quidem Ordinemque, si quid vos ad impetrandos quibus ornari cupitis honores adiuvare possimus, promptos paratosque habebitis.